

*Fortuño de Asin, al ser admitido como canónigo de Huesca y Jaca, dona al obispo Esteban una heredad en Sesa y otra en San Vicente.*

B. *Libro de la Cadena*, núm. 292, pág. 166.

C. *Libro de la Cadena*, núm. 724, pág. 380.

Notum sit cunctis presentibus atque futuris quod ego Fortunius de Asin offero me et Deo beate Marie et ecclesie Oscensi et Iaccensi in manu domini Stephani episcopi in vita et in morte. Et dono vobis domino episcopo et predictae ecclesie omnem hereditatem meam quam habeo in Sessa vel habere debeo totam ab integro heremam et populatam. Et similiter do vobis omnem hereditatem quam debeo habere in Sancto Vincentio videlicet septimam partem illius hereditatis ex integro quam filii Petri de Orna tenent et possident. Et hec omnia suprascripta dono et concedo vobis ut habeatis et possideatis vos et successores vestri et ecclesia vestra ingenua et libera et secure et quiete sine alicuius persone contradictione per secula cuncta. Et ego Stephanus Dei gratia Oscensis episcopus recipio te in filium et in canonicum Oscensis et Iaccensis ecclesie, ita ut tu sis nobis et ecclesie nostre semper fidelis et utilis et obediens omnibus diebus vite tue. Et promitto me dare tibi singulis annis pro vestitu C solidos iaccensis monete vel te vestire et hoc sit ad voluntatem tuam. Et insuper dono tibi ut tu cum volueris eas nobiscum in curia nostra cum duabus equitaturis et duobus armigeris qui habeant victum in curia nostra et serviant tibi et procurent equitaturas tuas. Et promitto me tenere tibi hanc convenientiam per me et successores nostros omni tempore vite tue et tu semper sicut dictum est sis fidelis et utilis et obediens nobis et ecclesie nostre et successoribus nostris. Testes huius donationis Bernardus prior Iaccensis et Galindus elemosinarius Oscensis et Vitalis Ariol et Melian. Ego Fortunio de Asin supradictam donationem proprio signo confirmo. Ego Stephanus Dei gratia Oscensis episcopus supradictam convenientiam proprio signo confirmo. Ego Bernardus prior Iaccensis pro me et toto conventu supradictam convenientiam proprio signo confirmo.

Facta carta era M.CC.XX, anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXX.II.

Ego Durandus scriptor hanc cartam scripsi iussu Fortunionis de Asin et domini Stephani Oscensis episcopi et hoc signum feci.